

Johannes Corfinius Johann Amsel

Disputatio Metaphysica De Necessario Et Contingente

Rostochii: Kilius, 1652

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730147959>

Druck Freier  Zugang



RU phil 1652
Johannes Corfinius
Johann Amstel



DISPUTATIO METAPHYSICA
DE
NECESSARIO ET
CONTINGENTE.

Quam
Dei Ter optimi Maximi adspirante gratiâ
IN INCLUTA UNIVERSITA-
TE ROSTOCHIENSI


SUB PRÆSIDIO
*Viri Admodum Reverendi, Clarissimi &
Excellentissimi*

DN. JOHANNIS CORFINII,
SS. Theol. D. Moralium Professoris,
Ædisq; Marianæ Pastoris dignissimi, Præ-
ceptoris & Fautoris sui omni observan-
tiæ cultu prosequendi.

Publico Eruditorum Examine submitte

JOHAN Amstel / Rostoch.
A. & R.

In Auditorio Majori. Die 22. Aug. horis antemerid. 4. Septemb



ROSTOCHII,
Typis NICOLAI KILH, Acad. Typogr.
Anno M. DC. LII.



VIRIS

*Magnifico, Maximè Reverendis, Excellentissimis
Clarissimis,*

DN. AUGUSTO VARENIO,
SS. Theol. D. Hebraic. P.P. & Univers. Ro-
stoch. Rectori Magnifico.

DN. HERMANNO Schuckman/
SS. Theol. D. P.P. & Consistorii Ducalis Af-
fessori gravissimo.

DN. CASPARO MAURITIO,
SS. Theol. D. P.P. & Ecclesiasti meritif-
simo.

DN. JOHANNI CORFINIO,
SS. Theol. D. Pract. Phil. P.P. & ad B. Mariæ
Pastori dignissimo.

*Dominis Præceptoribus, Fañtoribus ac
Patronis meis submissè & Observan-
ter de venerandis*

Præsentem Disputationem se suaq;
studia commendans

offert & consecrat

J. Amfel.



I. N. D. N. J. C.

I.



E Necessario & Contingente tractaturi, primo *ἔτυμον* vocis præmittimus. Dicitur autem Necessarium Scalig. à Cessando, quod non cesset esse id quod est, vel quod nec possit esse aliter, *l. ii. de caus. Ling. Lat.* Unde pro omni necessario, etiam in genere Entis, vocem hanc deinceps adhibitam esse apparet.

II. Πολλαχῶς sumitur (1.) pro indigentia, Græcis *χρεία*, quâ presso multa sunt necessaria, & in qua sublevandâ non est cessandum: Græci, ut vocis ambiguitatem evitarent, addiderunt *ἀνάγκην*, quam voculam solum ad necessitatem entium significandam, traxerunt postea, (2.) pro perpetuo, quod Deo competit, (3.) pro utili, quomodo currus dicitur peregrinanti necessarius ad commediorum itineris expeditionem. Philosophus quatuor modis dici aliquid necessarium asserit (1.) *ἢ ἀνὸς οὐκ ἐνδέχεται τῆν ἰσιν συναιτίς* (2.) *ἢ ἀνὸς τὸ ἀγαθὸν μὴ ἐνδέχεται ἢ εἶναι, ἢ φρεσῶν, ἢ τὸ κερὸν ἀποβαλεῖν, ἢ σπερηθῶν.* (3.) *τὸ βίαιον* (4.) *τὸ μὴ ἐνδεχόμενον ἄλλως εἶχῖν*, quod non contingit aliter se habere *s. Metaph. c. 5.* Quam ultimam significationem hujus loci fecimus. Quamvis autem Epicuræi omnem Necessitatem in dubium vocarint, statuerintq; omnia cæco fortunæ impetu fieri, hujus tamen asserti falsitas luculentè evincitur ex rebus illis quæ ex naturæ lege immutabili fiunt, ut & ex ordine & nexu effectuum cum causis. Quò accedit quod monstra Naturæ errores nuncupentur, quod nunquam fieret, si omnia Naturæ effecta essent fortuita.

III. Necessarium est quod non potest aliter esse *l. 6. Met. c. 5.* Conceptum necessitatis formalem eruere non adeo facile est, quod si enim Necessarium determinetur (1.) ratione existentia tum omnia contingentia, quatenus jam actu existunt erunt necessaria; Si verò (2.) ratione Independentia à causis spectetur, tum solus Deus erit Ens necessarium, reliqua omnia certo modo erunt contingentia, si (3.) ratione naturæ jam

constituta, cum quidem omnes substantiæ erunt necessariae, sed omnia
accidentia erunt contingencia, etiam illa quæ per ordinem in agendo
continuum essentiali nexu coherent cum subjecto. Rectius verò termi-
no Immutabilitatis vel Invariabilitatis conceptus exprimi videtur.

IV. Necessarium vel est complexum vel incomplexum. Illud propo-
sitionum est (1.) absolutè talium, quarum opposita simpliciter sunt im-
possibilia, quales sunt ubi attributa divina de ipsa essentia Dei prædican-
tur (2.) Propositionum necessariarum *formaliter* sc. modalium, in affe-
ctione dispositionis ac conjunctionis extremorum consistens, quales
sunt propositiones, quibus modus Necessè apponitur. Vel *materialiter*
sc: Apodicticarum; Quo referuntur vulgati necessitatis gradus *ἡ μίσι-
ος, καὶ αὐτὸ, & καὶ ὅλας πρῶτον*, de quibus in 1. poster. Anal. c. 4. agit.
Philos. quorum illud vel est *subjecti* cum prædicatum convenit omnibus
sub subjecto contentis, speciebus sc: & individuis, ut Leo est animal: vel
Adjuncti subjecto certam universalitatem addentis; ut Homo est risibilis,
istud vel est primi modi, ut sunt prædicationes generis & differentia de
specie, speciei de Individuo; vel secundi, ut sunt prædicationes pro-
priorum; postremò prædicatio differentia cum specie reciproca, ad
καὶ ὅλας, quod est cum prædicatum de subjecto reciprocè dicitur, spe-
ctat, de quibus Logici Keckerm. l. 2. c. 2. Syst. Log. Itaq; in primo per
se dicendi modo illa prædicantur, quæ ob realem terminorum (definiti
ac definitionis quæ realiter idem) identitatem, absolutè necessaria sunt;
fundaturq; illa identitas non in aliquâ re, sed in negatione, seu in nō exi-
stentia eorum quæ negantur, vid. Fonseca 5. Metaph. quæst. 1. In secun-
do modo prædicantur de subj. propria consequentia, ubi tamen præ-
dicationes non semper sunt absolutè necessariae, cum prædicatum con-
tinet aliquid realiter à subjecto distinctum. Non diffitemur aliquas
absolutè necessarias esse sc: propositiones, in quibus affectiones tran-
scendentales prædicantur de subjecto, reliquæ autem non sunt absolutè
tales, cum contingentiam conjunctam habeant (si potentiam divinam
respicias) atq; aliter se habere possint. His autem & similibus enuncia-
tionibus ut & Syllogisminis necessitas tribuitur per proportionem quan-
dam, quatenus sc: entitatem ab intellectu accipiunt, cum etiam non-
entibus atq; adeo entibus rationis, per eandem analogiam attribuat.
Alias enim constat, nihil verè proprieq; vocem necessarii sibi vindicare
posse, nisi ad minimum rationem entis adsumat Scharff, *disp. Metaph.*
th. 3. conf. Scheibl. l. 1. Met. c. 18. Tit. 3. a. 1. n. 16.]

V. In-

V. Incomplexum ratione (1.) essentia est solus Deus, qui Ens Independentens Scalig. *ἀντὼν* dicitur, *exerc. 365. f. 2.* cui simpliciter repugnat non esse, tam à parte ante, quam à parte post. Dicitur alias necessarium absolute tale, quia simpliciter non potest non esse & nec externam nec internam corruptionis causam admittit, & nullo modo potest fieri contingens. Materia prima nec ex semetipsa esse potuit, unde non fuisse, & aliquando non esse, recte ei competit. Singularia tantum, negative semper esse intelliguntur, cum non determinantur ad peculiare aliquod tempus, in quo incipiant & desinant. Thom. 1. p. q. 16. a. 7. Unum itaq; remanet Ens quod primum appellatur sc: Deus, qui simpliciter immutabilis est & necessarius, atq; iste nec desinere potest, neq; vitam sibi adimere, vel per alium amittere: Neq; aliud potest dari Necessarium Incomplexum absolute & independentem tale, præter Unicum hoc Ens, quod est principium omnium aliorum quæ Entia vocantur.

VI. (2.) Causarum & effectuum, ubi necessitas consistit in relatione ad causam proximam, necessariam, immutabilem, propter intimam causæ & effectus connexionem. Dicitur alias Necessarium Incomplexum secundum quid, & simpliciter quidem potest esse & non esse, ob dependentiam à primo Ente, interim non habet intrinsicè corruptionis principium; Et hæc dicitur quoq; invariabilis necessitas, quod intelligendum tamen de necessitate physica, quæ cum alia simpliciter absoluta minimè confundenda. Quantacunq; enim sit causarum secundarum & naturalium necessitas, semper tamen subdita & subiecta permanet causæ superiori & primo agenti, à qua uti omnia inferiora suum esse obtinent, ita causæ prima agens ad secundas causas non est astricta. Huiusmodi necessaria sunt Entia dependentia, ita merito nuncupata, quod neq; Entitatem neq; necessitatem suam à sese ipsis habeant, sed à conditore.

VII. Radix autem hujus dependentiæ intimæ consistit in universali causarum nexu, quo effectus non potest non dependere à sua causa. Guth. II. *disp. Met. 1. 33* Universaliter autem radix necessitatis consistit in ipsa rei actualitate, ut quatenus actures est, necessitatem habet, sicuti potentia contingentiam arguit. Cum verò actualitas existentia in diversis subiectis diversi modo fundetur, fundamentum quoq; diversum est, in Deo est ipsa ejus independentia, in creatis rebus est Natura à Deo sic constituta.

VIII. Dependētium rerum summum necessitatis gradum quidam tribuunt, non tantum Angelis & animabus rationalibus, (cum internum corruptionis principium haud admittant) sed quoq; motibus caelestibus, deinde Elementis, quorum ordinem & motum nulla causa physica turbare ac impedire valet, infimum vero speciebus generabilium, quae licet non in natura sua, tamen secundum individua mutationi sunt obnoxia. Tres itaq; Gradus necessitatis conuodem constitui queunt: Primus gradus est necessitatis maximae sc. Independentis Dei (qui nullo respectu potest fieri contingens) Secundus gradus est necessitatis mediae sc. rerum in essendo (haec etenim in natura iam constituta sunt necessariae, sed si ad Causam primam referantur plane contingentes apparent) Tertius gradus est necessitatis infimae in Afficiendo & Operando, namq; licet fiant necessario, tamen praerequirunt subjecta & causas, quibus non praesistentibus, neq; illa esse possunt.

IX. Caeterum uti ipsae variant causae, ita quoq; Necessarium in ordine ad causam consideratum diversimode sese habet, atq; aliud ex causis internis, aliud vero ex externis originem trahit.

X. Necessarium respectu materiae est, quod ex materia infallibiliter resultat, ita quantitas corpori rite statuitur necessaria, ob corporis materialem conditionem; Corruptibilitas itidem, ob materiam omnibus generabilibus & corruptibilibus competit: Adeoq; necessitas materiae est, quae indolem & naturam materiae comitatur.

XI. Necessarium a Formae est, quod ex Formae respectu immutabiliter sequitur. Zabarell. l. 2. de propof. neceß. aliud necessarium facit constituens a priori, sicuti definitionis partes necessario insunt definito, aliud consequens a posteriori, quo referuntur propriae affectiones, passionis, utrumq; tamen importat necessitatem validissimam, ut sine contradictione auferri nequeant, salva tamen potentia divina. Prius Necessarium constitutionis seu definitionis, posterius vero consecutionis & demonstrationis vulgo dicitur. Quum vero utraq; necessitas ex forma manans confertur, certum est quod maiorem vim obtineat necessitas constitutionis, quam consecutionis: Hic observandum quod Dei concursus aliquando suat in formam & animam; (ut haec actu informet compositum) & nihilominus alterum influxum, quem forma ad affectiones suas proprias exercendas requirit, pro lubitu suspendat; unde patet cessare aliquando necessitatem consecutionis. Conf. D. Scharff. *disß. Metaph. II. q. 3.*

XII. Por-

XII. Porro ex causis externis resultat necessitas respectu efficientis, unde Necessarium dicitur, quod posita causâ, non potest non produci effectus: hoc modo necessarius est dies sole in nostro hemisphærio existente, fieri etenim nequit ut sole apud nos existente non sit dies. Con- similiter ignis corpus combustibile admotum necessario absumit, nisi à causâ superiori impediatur. Requiritur autem omnino ad efficien- tem naturalem, ut sufficiens virtus, subjectum passionis capax, ac me- dium expeditum, imò nullum impediens, nec causa indifferens adsint. vid. Scotum *Metaph. 9. quæst. 14.* Quibus positis rectè suum exsequitur officium natura.

XIII. Deniq; Necessarium in ordine ad Finem est, quod ad ejus exe- cutionem exigitur; nuncupatur alias Necessarium ex suppositione finis: Estq; duplex; vel enim est simpliciter Necessarium ad finem obtinen- dum, sine quo non potest res subsistere, h. m. Cibus est necessarius ad conservationem vitæ, & fides respectu salutis obtinendæ: vel necessa- rium ad bene-esse, licet absolute loquendo finis sine illo obtineri queat, e. g. Equus ad iter expediendum.

XIV. Necessario Absoluto contradistinguitur Hypotheticum. Hoc necessarium hypotheseos faciunt, quod ex certâ suppositione, aliter esse nequit, cognitionem ob mutabilem causam cum contingentia ha- bens; cum nihil absurdi sit idem necessarium esse & contingens diver- sarum causarum respectu; illud primarii operantis, hoc secundarii con- tingenter agentis. Crell. *part. Com. 1. 2. p. 254. de Interpr.* Itaq; hæc ne- cessitas causam necessariam non habet, sed duntaxat propter conditio- nem immutabiliter annexam, non mutatur, E. g. qui scribit necessario manum movet, verum causa scriptionis haudquaquam est necessaria. Sic necesse est scandala venire, præsupposito quod homines pessimè vi- vant: Licet enim utrumq; sic contingens male sc. vivere, & scandala ve- nire, attamen posita vitâ mala, necessaria est sequela venientiu scandaloru.

XV. Sumitur verò necessarium ex hypothesi, vel ab actu existendi, so- liò existentia causam importante; Unde Principiū, Omne quod est, quan- do est, necesse est esse; quod verum esse dicitur in sensu conjuncto, secus in disjuncto, cum falsum sit & contingens antequam ad certum aliquod subjectum determinatur: vel sumitur à causa tum efficiente, tum finali. Ab efficiente eaq; vel supra naturali, à prima causâ ortâ, quæ omnibus dominatur: Sic necessario creaturæ Deo obediunt; vel præternatura-

li ex

Externâ: Ad hoc Necess. spectat tum violentia, qua contra propensionem suam aliquid coguntur pati subjecta, tum coactio, qua contra voluntarem operari coguntur subjecta cognitione prædita, ubi semper displicentia conjuncta est: vel tandem ratione finis Hypotheticum dicitur Necessarium, vel quod ex suppositione finis, vel ex ratione expediendi tale est, de quo supra.

XVI. Observandum vero physicam necessitatem non esse absolutam, nec eidem ut miracula edat convenire, sed illam esse in qua impertum habeat causa prima, quæ impedire potest negando id quod ex parte sui necessarium est, & supplere & addere valet naturalibus requisitis quæ defunt; quomodo solem stetisse necessitate obedientiali, in pugna Josuæ, & Virginem sine viro peperisse in sacris legimus. Vid. Trygoph. 6. *disp. Metaph.*

XVII. Expendenda quoq; hoc loco Necessitas consequentis in oppositione necessitatis consequentiæ, & occurrit hæc distinctio non tantum in Logicis ubi consequentis necessitas illa est, ubi conclusio in se spectata extra habitudinem ad præmissas, est necessaria; Necessitas vero consequentiæ in omni occurrit Syllogismo, cum positis præmissis aliquid necessario sequitur, quantumvis conclusio sit maxime contingens; Sed quoq; in Metaph. sibi sedem vendicat: Necessitas consequentis est ipsa rei necessitas, quæ in essentiali causæ & effectus dependentia consistit, adeoq; remotâ omni connexionem res in sese præcisè spectata dicitur necessaria: Necessitas consequentiæ, est cum aliquid necessarium dicitur per connexionem cum aliis, ubi sc. consequens non est necessarium, nisi posito antecedente, ita tamen ut utrumq; sit contingens, ut si Plato est doctus, necesse est eum aliquando legisse.

XIII. Notatu verò dignissimum est, Præscientiam Dei non mutare naturas rerum, sed, sicuti res ipsæ ceu liberæ, ex causis vel necessariis vel contingentibus causantur & fiunt, sunt ordinatæ, ita & Deus circa utrumq; N. sc. & C. intuendo seu sciendo versatur: Nec valet hic quod objicias necessitatem infallibilitatis; hæc enim non rebus ipsis, sed syllogistica rationi in est, seu consequenti, quod ex antecedenti infertur, & pertinet ad necessitatem consequentiæ; e. g. Cum video te ambulare, necesse est ut ambules, non quia video te ambulare, sed quia ambulas: secus enim Deus non esset liberum agens, sed quicquid in præscientia haberet, id necessario fieret: Quod tamen secus experimur in-
exam-

exemplis ex scriptura passim depromendis. Vid. *Timpl. Exerc. Phil. sect. 3. p. 17. q. 221.* Commodissime hoc illustratur ab Eusebio visus exemplo, quemadmodum enim visus nullam rebus infert necessitatem, licet res dū videntur aliter se habere non possint, ita etiam Deus omnia intuetur uti creata sunt, verum novam illis necessitatem non confert. Licet E. Deus omnia intueatur (non quidem ut actus futuros, sed ut presentissimos) & eo modo quo sunt, perspiciat, tamen ob illam visionem haud sunt necessariō, (si etenim aliter fierent, aliter quoq; præviderentur ab ipso cognoscente Deo) sed manent contingentia à Deo cognita. Effectus divinæ præscienciæ proprius est scire Res fieri, non autem determinare ut hoc vel illo modo fiant. Proinde pessime detorquent necessitatis doctrinam quotquot peccatorum perpetratorum necessitatem ex divina præsciencia stabilire & deducere satagunt; quibus canon vulgatissimus merito opponitur, quod divina præsciencia nullam rebus imponat necessitatem.

XIX. Priusquam doctrinam de Necessario concludamus, duplex Monitum præmittendum esse arbitramur, Prius concernit Immutabilitatem, quæ in conceptu necessitatis involvitur, quod illa dextrè sit intelligenda, non enim talis tribuitur Immutabilitas, quâ res per alia Accidentia variè affici non possit, ut si aqua frigida postea incalcescat: neq; talis quâ Ens ad Non-Ens mutari aut plane destrui non possit, (qualem Immutabilitatem definit *Incōrruptibile*) sed talis, quâ res dum adhuc est in fieri s. in suis causis, per ordinem naturæ non potest aliter esse vel emanare, vel aliam nancisci essentiam: Sic homo non potest aliam recepisse essentiam quam humanam, sublata enim ex mundo specie humana, turbaretur perfectio Univerſi; Sic risibilitas posita rationalitate non potest aliter emanare. Posterius declarat graduum necessitatis diversitatem; Cum enim Deus sit Ens Independentis, & summe necessarium, certum est quod ejusmodi necessitas, quæ huic correspondeat in nullis creaturis deprehendatur, quanta ergo discrepantia est Entis Independentis & reliquorum dependentium, tanta quoq; in necessitate statuenda, videlicet ita Deus necessariō est, ut absolute & simpliciter sit impossibile Deum aliter esse posse; Creaturæ verò jam existentes quoq; necessariō sunt, sed juxta nutum & placitum Conditoris, qui eas tales esse voluit, hinc jam quoq; tales non-esse nequeunt, non quasi independentis sic harum necessitas, sed quod Deus sibi non contradicere, neq; vigore

B

boni-

bonitatis creaturam immutare velit vel possit. Deniq; in Entibus Dependētib; omnino quoq; discernenda erit Necessitas definitionis & Demonstrationis respectu graduum, quantumvis etenim in posteriori quoq; accidentia per proximam causam de subiecto prædicentur, nihilominus nondum attingit gradum prioris, veluti enim res sine constituentibus s. definitionem ingredientibus omnino consistere nequeunt, ita sine consequentibus s. Propriis (quæ realiter à subiecto distincta sunt) omnino esse possunt.

XX. Absolutâ doctrinâ de Necessario, aggredimur eam quæ est de contingentî. Varia vocis hujus significatio reperitur in hoc Philosophi *7. prior. c. 3. §. 8. καὶ τὸ ἀναγκαῖον καὶ τὸ μὴ ἀναγκαῖον, καὶ τὸ δυνατὸν ἐνδέχασθαι λέγουμεν.* Ubi sumitur latè pro omni illo quod consequitur vel fit, licet sit necessarium vel non; cui affinis alia, quando pro fortuito capitur. Hic vero *δύναμιν ἀντιφάσεως* significat & opponitur necessario, ideoq; ante actualem existentiam indeterminatè se habet, ita ut produci vel non produci possit.

XXI. Sumitur contingentia vel in Universali, quatenus formaliter in ultimâ abstractione consideratur, & necessitatem aliquam includere videtur, propter quam necessario danda sit contingentia, Omnia enim entia non sunt necessaria, sed pl. habent in se principium mutandi, pl. actu mutantur, adeoq; necessario aliqua hic contingentia concedenda, secundum quam aliter atq; aliter se habere queant. Vel in Particulari; quatenus sc: pro particulari & determinato ente sumitur, prout illud contingenter se habet, cum res quæ oriuntur ex causis & fiunt, sint contingentes, ratione sc: potentiæ non vero ipsius actus instantis. Non autem hic ex necessitate ipsius contingentia, ipsarum rerum contingentium necessitas sine manifestâ contradictione inferenda. Contingentia enim in particulari, quæ ex rebus ipsis & causis quæ contingentes sunt, æstimatur, opponitur necessitati. Sic rectissime pronuncio voluntatem aliquam esse necessariam, ita hinc vitiosissime colligo ipsas res voluntarias fieri necessarias (nunquam etenim admittent necessitatis jugum res voluntariæ) Ita rectè dico contingentiam aliquam esse necessariam (loquendo sc: de contingentia in Universali & actu signato) ad perperam inde infero Res contingentes (in particulari) h. m. fieri necessarias.

XXII. Dari contingentia perfacili negotio probatur, non tantum si
huma-

humanas expendamus actiones quæ aliter atq; aliter se habent pro cuiuscunq; hominis arbitrio, & maxime contingentes sunt, (hinc homo pro libitu poterit ambulare, disputare, vel ejusmodi actiones intermittere, quæ libertas nisi homini tribueretur non tam animal rationale, quam rationis ac disciplinæ expers meritissime reputaretur) sed universa quoque ratio hoc ipsum dicitur, quod sæpissimè positis causis effectus non subsequatur, ob certa impedimenta interjecta: imo & sensus illud satis evincit, plurima etenim homo intuetur quæ præter ordinarium naturæ cursum fiunt, eaq; omnia contingentia esse abundè perspectum habet.

XXIII. Contingens cum ArchiPhilosopho describimus, quod sit illud quod aliter se habere potest, cujus conceptus formalis quærendus est in mutabilitate, seu in potentia sese aliter habendi, ejusq; radix est potentialitas. Cæterum non occurrit contingens aliquod Independens neq; aliquod in natura subsistens & constitutum (eo ipso etenim, quatenus res in natura jam constituta est, ex contingentium classe discedit, & fit propter existentiam necessario) sed quærenda est contingentia in in hærentia & dependentia, adeoq; spectatur in subjectis & causis contingenter se habentibus. Ubi operæ pretium erit exactè discernere quænam revera ad contingentia referri queant, & quæ ex isto cœru exulent: sic monstra & defectus naturæ à plurimis censentur entia contingentia, veruntamen si penitus examinentur non dependent à causis contingentibus sed naturalibus, & fiunt tantum per accidens talia propter naturæ impedimentum, quod ipsum efficit ut natura finem suum non semper assequatur, at non tollit nexum qui inter causam & effectum naturaliter esse debebat; nec obstat quod hæc effecta quatenus res non sint res necessaria sed contingentèr fiant, nam defectus non sunt entia vera, & quæ contingenter fiunt non statim sunt entia contingentia.

XXIV. Contingentium alia frequenter, alia raro fiunt: frequenter contingentia sunt, quæ quidem non semper ita contingunt, nihilominus sunt frequentissima, uti hominem nasci duobus oculis & auribus unoq; capite esse præditum; & hæc contingentia appellatur *ἄντι τὸ ἀλλεῖον*, eo quod talia magis sint quam non sint: raro contingentia dicuntur quæ magis non sunt quam sunt; veluti hominem nasci bicipitem; atq; ad hunc censum omnia pertinent quæ casu eveniunt.

XXV. Castaneus triplici respectu contingens considerari posse affir-

mar, sc: Logicè & solum dicit possibiliter aliquid esse & non esse, neq;
ponit aliquam imperfectionem in causâ, & ita Deus contingenter crea-
vit mundum. Physicè, & addit intrinsicè ac formaliter respectum ad cau-
sam defectibilem: Deniq; Moraliter sumptum addit intrinsicè & for-
maliter quod effectus productus contingens sit præter intentionem
operantis.

XXVI. Contingentia aliquando occurrit respectu subjecti, aliquan-
do respectu causæ: ratione subjecti sæpius occurrit contingentia, quæ
tamen non est talis respectu causæ; sic raro accidit homini ut organa
sensoria in oculo totaliter corrumpantur, veruntamen posita ista cor-
ruptione in subjecto, nõ raro vel contingenter, sed necessario ac semper
sequitur carentia visus; consimiliter lunæ raro comperit Ecclipsis, at-
tamen posita causa videlicet interpositione terræ, non raro sed semper
ipsa Ecclipsis subsequitur. Ratione causæ contingentia dicitur quæ raro
fit tali causâ positâ; Sic contingens rarissimum est piscatores retia projici-
entes tripodem reperire aureum, cum ex tali causâ admodum contin-
genter istiusmodi fluat effectus.

XXVII. Contingentia præterea vel præsentia sunt vel absentia: præ-
sentia illa sunt, quæ existunt actu atq; propter existentiam actualem,
assumunt ingenium necessariorum, sed hypotheticorum. Absentia vel
præterita sunt vel futura, de præteritis idem affirmandum erit quod de
præsentibus, suadente hoc ipsa ratione, quodcumq; enim fuit non potest
dici non fuisse: Futura contingentia sunt μέλλοντα & definite futura de
quibus non est determinata veritas.

XXVIII. Alia quoq; statuitur contingentia interna ratione principii
interni, quod agere & non agere possit; alia externa qua aliquid ab exter-
no immutari potest principio; de interna quid statuendum sit paulò
deinceps videbimus: Externa non solis naturalibus erit ascribenda, sed
quoq; liberis causis, cum earum actiones quoq; impediri queant, ubi ta-
men Imperati actus ab Elicitis exactè sunt discernendi, in illos enim non
in hos cadere potest. Ubi præterea notandum, quod illa quæ à solius vo-
luntatis imperio sunt, uti habitus & virtutes morales, rarius & difficilius
ejusmodi contingentiam externam patiantur; quemadmodum Ethici
virum bonum *την ἀγαθόν* esse affirmant, neq; quolibet fortunæ vento
impelli aut à statione suâ dejici dicunt. *Nicom. c. 10.* Quæ v. actiones hu-
manæ externis indigent adjumentis, utpote ab artibus & conjecturis
pro-

perfectæ facile remoram patiuntur, & impediri possunt, ut in piscatore aliisq; non obtento quem sibi proposuerant sine experimur.

XXIX. Necessarium & contingens exhauriunt latitudinem Entis, neq; opus est ut medium aliquod admittamus, quicquid etiam de actibus Dei liberis eximendis nonnulli propugnent, dummodo quis imperfectione à termino mutabilitatis qui in contingentia occurrit, rite removeat; quod enim actus personales attinet, illos cum exhibeant mysteria devotione summa credenda in campum Metaphysicum nunquam producendos arbitramur: quod autem reliquos concernit Dei actus, quales sunt vel immanentes, ut cognitio & volitio, vel transeuntes, uti creatio, conservatio & gubernatio &c. istiusmodi actus certo respectu possunt dici mutabiles, non quidem respectu executionis, neq; etiam respectu ipsorum decretorum, quatenus jam decreta sunt (ita enim ex hypothesi jam immutabilitatem obtinent) sed respectu liberi principii, à quo ita dependent ut etiam aliter se habere potuissent, quod si conditori ita placuisset. Si vero scrupulum cuiquam objiciat terminus mutabilitatis, eumq; imperfectionem inferre autumet, quæ in Deum nullo modo cadere potest, illi integrum relinquimus ut loco ejusdem substituat terminum technicum, Aliter se habere posse.

XXX. Cum contingente merito connectitur de Libertate, quæ non est species contingentis, sed proprietas causæ agentis; equidem plurimi propugnant libertatem esse ipsam contingentiam internam, quæ aliter atq; aliter ex principio interno sese habere potest, atq; indifferentiam ad utrumq; oppositorum obtinet; sed libertas non est eadem cum contingentia, potius est potentia agentis illa qua effecta contingentia indifferenter edere potest. Effecta itaq; libertatis primum sunt contingentia interna, aut causa illorum dici debet libera, quando igitur agens etiam denominatur contingens, inconvenienter tribuitur causæ quod ipsi rei tribuendum erat. Res enim contingens, sed causa libera denominari debebat.

XXXI. Hæc ipsa libertas est facultas naturæ intelligentis, quæ ex judicio rationis juxta electionem circa bonum indifferentiam agendi vel non agendi, & præterea in agendo rerum diversarum in eodem bonorum genere occurrentium optionem habet. Hæc libertas libera est ab illa necessitate quam in agendo habent res naturales & irracionales, quippe quæ determinatæ sunt ad unum oppositorum: neq; duntaxat com-

muni philosophorum omnium consensu hæc libertas approbatur, sed ipsa quoque experientia fulcitur, quæ evidentissime declarat in hominis potestate situm esse agere vel omittere has illasve actiones, unde discursu utimur: frustra namque nobis data esset deliberationis & consultationis potestas, nisi ipsa Electio in nostra sita esset potestate. Accedit quod operationum perverfarum malignitas id ipsum stabiliat, omnes namque actiones malæ haud quaquam Deo ascribendæ (cum easdem severe prohibeat, quin & puniat, unde ipsum talium nequaquam Autorem esse constat) quocirca ex libera nostra promanant voluntate: neque homo pœnam iuste incurreret nisi libertas in agendo admitteretur, ablato enim libero arbitrio, neque pœna justa neque objurgatio locum habebit.

XXXII. Ex his elucet, fatali necessitate minimè constrictam esse voluntatem humanam, quomodo Fatum indeclinabilem ac necessariam rerum æternæ consequentiæ seriem, ad ipsa etiam singularia extensam, Stoicorum secta introduxit; de quo Conimbr. l. 2. phys. c. 6. q. 10. art. 1. quæ tamen sententia jam diu explosa, adeo ut recte, quo illa luderet apud Lucianum dicenti fato se furem esse, & ideo fato suspendi ille responderit. Nec è contrario omnia casu fiunt, ut hallucinati sunt Epicuræi, omnes eventus & actiones cæco fortunæ ductui attribuentes, cum dentur causæ & effectus necessarii. Et quamvis cum crassa implicatione Deus necessariū agens poneretur, concurrens cum secundis causis, non tamen propterea contingentiam & libertatem ab illis auferret, sufficit enim ad libertatem ut causa proxima sit libera, quin etiam quod ipsi in actum nostrum non ut libertatem Dei, sed nostram quæ proxima causa est, dominium exerceamus. Ut curiosioribus responderet Jac. Marr. ex Suarez. *disp. 19. sect. 3.*

XXXIII. In duplici vero differentia libertas deprehenditur, alia enim est Contrarietatis, alia Contradictionis: Libertas contrarietatis illa est, quæ positis speciebus diversis facultatem habemus unam posthabitis reliquis eligere, adeoque è pluribus quodcumque allubescit seligere: sic qui animum ad facultatem aliquam certam applicaturus est, potestatem obtinet quamlibet prohibitu eligendi, atque propterea libertas contrarietatis dicitur, quod plura contraria ad actum unicum æquè commoda offerantur. Libertas contradictionis est cum certâ re propositâ illam agere vel non agere poterimus: sic si unica determinata facultas alicui offeratur, libertate habet contradictionis ut illam eligere vel repudiare queat.

XXXIV. Residet verò hæc libertas non in creaturis rationis expertibus.

bus, sed in solis rationalibus, adeoq; semper loco subjecti exigit substantiam spirituales, cui quatenus intellectualis & spiritualis est, actio libera adjudicatur, quod notanter addendum erat. Licet enim in anima humana plures occurrant facultates, nulli tamen nisi intellectuali uti principio proximo actionis libertas erit ascribenda.

XXXV. Deniq; libertas ista in diversis subjectis occurrere deprehenditur, cadit sc: in Deum, Angelos & homines; Deus in agendo est liberrimus cū si perfectissimus, neq; obstat quod sit Ens summè necessarium, unde sequi videtur quod Ens liberum nuncupari nequeat: sed facillime hoc solvetur dubium, si ponderemus rectius agens liberrimum quam Ens liberum nuncupari, veluti etenim in homine deprehendimus quod sit Ens necessarium, & tamen agens liberum, ita multo magis in Deo sese res habet, quod sc: Ens dicatur necessarium respectu independentis existentia, Agens vero liberrimum respectu modi agendi. Instas, Deus non posse liberum agens censei, cum non indifferenter sese habeat ad utrumq; oppositorum sc. bonum & malum, cum non nisi bene agere queat: sed quod huic etiam opponatur arieti in promptu erit, videlicet indifferentiam non respicere contrarias species bonum & malum, sed actus contradictoriè oppositos ut æquè bonos: Itaq; quo magis aliquid tendit ad bonum, & minus malè agere potest, eo magis est Ens liberum. Angeli quoq; sua gaudent libertate, veruntamen dubium moveri posset, quomodo in illos cadat libertas, cum jam in bono sint confirmati, atq; immutabiliter benè agant; sed idem quod proxime allatū hic quoq; reponendum erit, sc: libertatem non respicere species contrarias, sed in eodem genere actus oppositos, in bono vero confirmati sunt partim speciali Dei gratia, partim perspectâ Diabolorum apostasiâ, & quamvis nunc semper bene agant, non tamen intrinseca eorum libertas tollitur, sed ex confirmatione magis perficitur. Deniq; quod hominem attinet, & ipse sua gaudet libertate, ac semper permanet liber quam diu humana gaudet integritate; quod tamen assertum ad Theologorum Scholam accommodare nequaquam licebit, cum ibidem ratio sit diversissima. Sed ista fusius explanare iustituti ratio non admittit. Itaq; finientes Deo soli liberrimo Enti gloriam offerimus.

Ad Literatissimum Dn. RESPONDENTEM.

Cognarum singulariter dilectum.

ARdua moliris dextrè, segnemq; relegans
Plebis colluuiem, cui torpor perplacet, apte
Ætatis florem studiis, Lingvisq; dicasti
Amseli Cognate, placet: Sanè optima meta est
Ad quam collimas faustè, deflectere noli.
Subsidium Jovæ cursum moderamine sancto
Dirigat, ut quondam profis Patriæq; Tuisq;.

L. M. Q. Scr.

Præses.

FRater magnificæ culmina scandere,
Virtutis cupiens, magnanimis viris
Nunquam continuis cede molestiis,
Aut non Aonias sollicita Deas,
Non nudis precibus præmia venditant;
Constans assiduis quære laboribus,
Victrix nulla tibi palma negabitur,
Est Phœbeus honor positus omnibus.
Laudo primitias indolis editas,
Et grator studium, te Deus adjuvet.
Rumpas invidiis ilia nunc Codre,

Fraternæ affect. E. scribebam

A. Amsel/ J. U. Doctorand.

INquiris doctè, dum scandis pulpita docta,
Quid sit *Contingens*, quidq; *Necesse* fiet.
Materiem rixis plenam proponis Amice,
Quæ vulgus miscet, dum speciosa putas.
Sed *contingenter* sic vulgus sentit, idemq;
Vulgi *contingens*, atq; *Necesse* puto.
Perge bonis avibus, specimen sectare frequenter
Virtutis veræ, digna brabea feras.


Daniel Conradi, Ultz: Lünab.

perfectæ facîle remoram patiuntur, & imper
aliisq; non obtento quem sibi propofuerant

XXIX. Neceffarium & contingens exhauri
opus est ut medium aliquod admittamus, qui
liberis eximendis nonnulli propugnent, dur
né à termino mutabilitatis qui in contingent
quod enim actus personales attinet, illos cum
tione summa credenda in campum Metaph
cendos arbitramur: quod autem reliquos ce
sunt vel immanentes, ut cognitio & volitio, v
conservatio & gubernatio &c. istiusmodi ad
dici mutabiles, non quidem respectu execut
ipforum decretorum, quatenus jam decreta s
jam immutabilitatem obtinent) sed respectu
dependent ut etiam aliter se habere potuiffet
placuiſſet. Si vero scrupulum cuiquam objici
eumq; imperfectionem inferre autumet, qu
cadere potest, illi integrum relinquimus ut le
minum technicum, Aliter se habere poſſe.

XXX. Cum contingente merito connect
est species contingentis, sed proprietas causæ
propugnant libertatem esse ipsam contingen
atq; aliter ex principio interno sese habere po
utrumq; oppositorum obtinet; sed libertas n
gentia, potius est potentia agentis illa qua eff
renter edere potest. Effecta itaq; libertatis p
interna, aut causa illorum dici debet libera, c
denominatur contingens, inconvenienter tri
tribuendum erat. Res enim contingens, sed ca
bebat.

XXXI. Hæc ipsa libertas est facultas natura
dicio rationis juxta electionem circa bonum
non agendi, & præterea in agendo rerum di
rum genere occurrentium optionem habet.
illa necessitate quam in agendo habent res nat
pe quæ determinatæ sunt ad unum oppositor
B 3



the scale towards document

in piscatore
a Entis, neq;
a Actibus Dei
n perfectio
removeat;
steria devo
um produ
tus, quales
uti creatio,
tu possunt
m respectu
hypothesi
i, à quo ita
ditori ita
mutabilitatis,
ullo modo
ostituat ter
e, quæ non
em plurimi
, qua aliter
rentiam ad
im contin
tia indiffe
ntingentia
gens etiam
quod ipsi rei
minari de
quæ ex ju
agendi vel
lem bono
bera est ab
nales, quip
axar com
muni